



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.31. Regula de recipiendis Hæreticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII. Ecclesiasticarum peritis exploratum est,
 A. C. 787. hoc Concilium nunquam celebratum
 fuisse, quamvis Innocentius I. Papa in
V. Tillm. to. 1. p. 551. not. quadam Epistola ad Alexandrum Antio-
 34. *Epist. 18.* chenum data de eo mentionem facere
to. 2. Conc. p. 269. videatur.

§. XXXI.

Regula de recipiendis Hæreticis.

Conc. 7. p. 66. Tunc vero Joannes Legatus Patriarchæ
 Antiocheni ad Tarasium: *Sanctissime Pater! multi scire cupiunt, quam rationem esse oporteat Hæreticos converfos recipiendi. Rogamus Concilium, ut Libros Patrum afferre liceat, eosque examinare.* Moxque Constantinus allatis libris, qui petebantur primo omnium legit Canonem Apostolorum quinquagesimum tertium (nam Græci Canones Apostolorum octoginta numerabant Ecclesia Romana non plures quam quinquaginta recensente) deinde lectus est Canon octavus Nicenus de recipiendis Catharis vel Novatianis, & tertius Ephesinus, qui ad recipiendos Macedonianos pertinebat. Tum, id flagitante Stephano Monacho & Palatii Patriarchalis Bibliothecario, lectus est primus Canon epistolæ S. Basilii ad Amphiloichum, in quo de Baptismo Encratitarum agitur. Lecti sunt deinde Textus ipsius epistolæ ad Evasinianos, tum ad Comitem Terentianum. Item
p. 67.
p. 70.
 duæ

duæ epistolæ S. Cyrilli Alexandrini in Sæcul. VIII.
 causa reconciliationis suæ ad Joannem A. C. 787.
 Antiochenum datæ. Epistola etiam S. Sup. lib.
 Athanasii ad Rufinianum de Reconcilia- XVII. §. 14.
 tione illorum, qui Concilio Ariminensi
 subscripserant. Hic Tarasius Patriarcha
 indicavit discrimen in recipiendis Hære-
 sis Auctoribus, qui equidem ad pœnitentiam
 admittuntur, sed ab ordine Clericorum in
 perpetuum repelluntur, & aliis, aliorum
 nequitia in errorem pertractis, quibus
 utrumque conceditur.

Cum vero S. Athanasius in sua epistola
 de illis mentionem faciat, qui vi adhibita
 in errorem inducti sunt, Monachi in
 Concilio præsentibus interrogaverunt, an
 Hypatio aliisque Episcopis accusatis aliqua
 vis illata fuisset. Illi responderunt
 sincere, vim nullam se esse passos, sed
 in hac Hæresi natos fuisse & educatos.
 Episcopi vero Siciliae quæsi-
 verunt, cui Hæreticorum classi novæ Hæ-
 resis Auctores essent adscribendi. Tunc
 Tarasius dixit: *Legimus non receptas fu-
 isse Imagines a Manichæis, nec a Marcio-
 nitis, nec ab illis, qui Naturas in Jesu
 Christo confundebant, quales fuerunt Pe-
 trus Fullo, Xenajas Hierapolitanus, &
 Severus.* De Xenaja, ipsiusque in SS. Sup. lib.
 Imagines odio suo loco supra memini- XXX. §.
 mus. Hic Epiphanius Diaconus Cata- 18.
 nensis Thomæ Episcopi Sardinia Vicari-
 rius

p. 78.

Sæcul. VIII. rius interrogavit, an nova hæc Hæresis
 A. C. 787. levior pejorve antiquioribus esset. Ta-
 rasius respondit: *Malum semper malum
 manet, præsertim in causis Ecclesiasticis.
 Sive contra Doctrinam primi secundive
 ordinis pecces, perinde est, quia semper Lex
 Dei violatur.* Joannes Legatus Ori-
 entium dixit: *Hæresis ista ceteris omni-
 bus pejor est, quia Incarnationem de-
 struit.*

LECTI exinde sunt non nulli Textus
 ex prima Sessione Concilii Calcedonen-
 sis, ubi exemplum habetur, qua ratione
 Episcopi Orientis & Illyrici, cum pœni-
 tentiam profiterentur, recepti fuerint.
 Tunc autem Sabas Abbas Monasterii Stu-
 diensis quæstionem proposuit, an illi qui
 ab Hæreticis ordinati fuissent, recipiendi
 sint. Quamobrem lectus est Textus ex
 Historia Rufini de Concilio Alexandrino,
 in quo illi, qui cum Arianis communica-
 verant, recepti. Lectus quoque est Tex-
 tus ex Socrate, & alius ex Sozomeno
 de Marcello Ancyrano. Petrus Archi-
 diaconus Papæ Legatus adduxit exem-
 plum Macarii, Patriarchæ Antiocheni,
 Monothelitæ, in Synodo Sexta condem-
 nati, ad quem Benedictus Papa, concessa
 sex hebdomadarum mora, quotidie mit-
 tebat Bonifacium sibi a consiliis, qui eum
 doceret, & ad pœnitentiam provocaret.
 Deinde retulit exemplum S. Meletii,
 quem

Sup. lib.
 XVIII.

S. 8.
 Sup. l. XV.
 S. 26.

p. 82.

quem omnes tanquam Episcopum Antiochenum venerati essent, etiamsi ab Ariani ordinatum, Tarasius exemplum quorundam aliorum Episcoporum attulit, quibus in Sexta Synodo sedere datum, quamvis a Sergio, Pyrrho, Paulo, & Petro Patriarchis Constantinopolitanis Monothelitis ordinati essent. Hic Constantinus Episcopus Cyprensis dixit: *Satis jam demonstratum, ab Hæreticis ordinatos esse recipiendos, nisi in fraudem Fidei & de industria ab Hæreticis voluerint ordinari.* (*) Tum recitata epistola S. Basilii ad Nicopolitanos data, Tarasius subjunxit: *Præsertim si præsto fuerint Episcopi Catholici, qui eos ordinare potuissent.* Et soluto circa illum locum dubio addidit: *Patres ubique inter se consentiunt, nullus contradicit; illique solum, qui eorum mentem non penetrant, nec morem & Disciplinam noverunt, adversantur.*

Tandem sublata omni difficultate de recipiendis Hæreticis, illisque, quos Hæretici ordinarunt, jussit Concilium, ut septem Episcopi accusati suos Libellos concordia legerent. Eos ergo recitarunt Confessione Basilii Ancyrani consentaneos.

(*) Ex his verbis apparet, Patres de valore intrinseco Ordinationis non movisse Quæstionem.

Sæcul. VIII.
A. C. 787.

Sup. l. XIV.

§. 31.

p. 91.

p. 64.

Sæcul. VIII.

A. C. 787.

neos. At eorum Reconciliatio ad aliam Sessionem dilata. Et tunc quidem postquam Patres per modum orationis pro incolumitate Irenis & Constantini acclamassent, discessum est.

§. XXXII.

Sessio secunda. Epistolæ Papæ &c.

Sessio secunda inde post biduum habita, nempe vigesimo sexto Sept. anno septingentesimo octogesimo septimo, iustusque est intrare aliquis Mandatarius Imperatoris, qui adducebat Gregorium Episcopum Neocæsariensem, cupientem reconciliari. Erat is Iconoclastarum celeberrimus, atque inter illos, qui Conciliabulo anno septingentesimo quinquagesimo quarto celebrato interfuerant præcipuus. Tarasio ipsum increpante, quod tam sero resipisceret, fassus est culpam, petiit veniam, eique præceptum, ut Libellum, quo Hæresim abjuraret, in proxima Sessione traderet.

Tum Leontius Notarius monuit, quod in epistolis Imperatoris de epistolis Papæ & Patriarcharum Orientalium mentio fiat; statimque iusserunt Patres, ut legerentur. Primo lecta est versio Græcæ Epistolæ Hadriani Papæ ad Imperatorem & Imperatricem; sed tota non erat descripta. Omissa enim fuerant illa, quæ spectabant ad restitutionem patrimoniorum

Sup. S. 23.